



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi
decalogi Praecepto

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

Præloquium Authoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)



PRÆLOQUIUM AUTHORIS.

Jamdiu experientia Salomonis effatum probavit, scribendorum Librorum nullum esse finem *Eccles. 12, 12.* Postquam postremis hisce sæculis typographia inventa est, in omni scientiarum genere fertilis librorum messis excrevit. Verum tantum abest, ut homines hinc doctiores evaserint, ut fortasse dolendum nobis sit a vera doctrina longius illos abiisse, dum puriores fontes intactos relinquunt, recentesque dumtaxat Auctores sectantur. Pauciores propterea insignes florent Philosophi, quia pauci admodum Platonem attente legunt, & Aristotelem, ceterosque veteres Philosophos, quorum scripta supersunt. Pauci ideo insignes modo recensentur Oratores, quoniam hujusce artis præcepta non ab insignioribus antiquis Oratoribus hauriuntur, quales Demosthenes, Tulliusque extitere, duo eloquentiæ lumina. At levius profecto ferendum foret, si profanas solum scientias hic error pervasisset, quin doleremus in Ecclesia

Godeau Theol. Mor. Pays I.

A que-

quoque grassari. Primis quidem Ecclesiæ sæculis e sacris Litteris Theologia petebatur, quas vel docti Episcopi, aut sapientes interpretabantur Presbyteri, quales Alexandriae Clemens, Origenes, Dydimusque fuere. Posterioribus sæculis, postremisque hisce præcipue temporibus innumeri prope in sancti Thomæ Summam Commentarii prodire, in quibus effræni curiositate infinitæ prope quæstiones sunt propositæ. Huic calamitati Moralis magis, quam speculariva Theologia succubuit; postremo siquidem sæculo tot moralis disciplinæ Libri, latina & vulgari lingua, in Italia Hispaniaque editi sunt, ut hisce solis ingens fieret Bibliotheca. Verum sicuti Medicorum in urbe copia, aut plures ibi jacere agros, aut maligno indicat sub cælo vivere; sic immensus iste de Conscientiæ casibus Librorum numerus multorum modo infirmam conscientiam esse prodit, cum Christiani veteres quo simpliciter magis, eo ambularent confidentius.

Optimum sane finem Auctores istos ob oculos habuisse arbitror, sed eorum plerique per devia a scopo dubio procul aberrarunt. Idem siquidem aperte fatentur ideo se scripsisse, ut fideles metu ac turbatione liberarent, iisque planam Cæli viam sternerent, quæ delicatulis ac impenitentibus aspera nimis, difficilisque videbatur. At ad istosne Doctores spectat Cæli viam planam reddere, quam cælestis Præceptor Jesus Christus *Matth. 7.* duram, asperam, angustamque vocat? Nobisne licet difficultates illas ab ea auferre, quibus, qui *Viam se dicit*, illam sub-

subdidit? An adeo latam illam efficere, ut quocunque tandem modo mente aut corde quis sit affectus, liber huic pateat aditus? Verum tamen Præceptor testatur, paucos hanc invenire, ac per latam plerosque viam ire ad interitum (*ibid.*) Anne optimus dux viæ Paulus? At blandamne illam suis epistolis parat? aut prætextus, excusationesque pravæ hominum cupiditati sufficit? Qui illum sequuti sunt, sancti Patres, æqualem profecto salutis animarum zelum habuere, quem recentiores isti Casuistæ præferunt; sophismatibus istis suntne usi, pravisque distinctionibus, quæ veritatem Evangelii elevant, morumque disciplinam apud Christianos eo loci adducunt, ut eadem apud Ethnicos sit honestior?

In Cabilonensi secundo Concilio, & in Parisiensi sexto damnarunt Episcopi pœnitentiales Libros, qui in eorum Ecclesia irreperant; existimarunt siquidem veram hisce pœnitentiam imminui: diligenter hos inquirendos, comburendosque jusserunt, ne illis ad fallendas animas indocti Presbyteri uterentur. At quomodo poterant hi libri eas seducere? mutabantne peccatorum naturam, liberam docentes viam ad crudeles impune exercendas usuras, ad scelestas patranda homicidia, ad simonias sacrilegas ineundas? Suadebantne peccatoribus in proxima peccandi occasione morari? Anne effrænes eorum voluptates fovebant, sicuti recentiores nonnulli Casuistæ faciunt? Longe illi aberant ab hac corruptione. Ideo solum fuere proscripti, quia leviores pœnitentias imponebant, quam Canones statuerant, Parisiense Concilium canone 34. illos

A 2

dam-

damnat, quia pœnitentia infra viginti quinque annos duratura peccatum nefandum mulctabant contra Ancyrani Concilii decretum *Titul. 16.* At quæ majora pericula incautis non parant recentiorum Casuistarum aliqui? Evangelicam prope omnem morum disciplinam corruperunt, eamque ad Pyrrhonismum quasi adduxerunt, adeo pene nihil certi in ea relictum, omniaque Auctorum ingenio ac licentiæ exposita.

Nonne igitur oportet omnino iis, quibus animarum cura commissa est, antidota istam adversus corruptionem suppeditare, certasque ac constantes regulas præscribere, quibus animas sibi creditas manuducant? Non omnibus ingenii satis, aut otii est, ut eas in sanctis Patribus & Conciliis exquirant, & a variis ad alia pertinentibus secernant. Hoc mihi Episcopo onus subeundum putavi, ut & illos hoc labore levarem, eisque e sacris fontibus haustam doctrinam offerrem. Parochis præcipue ac Confessariis meæ Diœceseos prospexi, iisque præsertim Opus meum offero; æquum quippe est ut eorum, qui me in Episcopali ferendo onere adjuvant, levius onus reddam. Animas ipsi regunt, quarum cura mihi præcipue commissa est, idcirco illis via, quam sequantur, a me est ostendenda, ne cæcos illos duces imitentur, qui, ut inquit Evangelium, cum iis, qui se sequuntur, in foveam cadunt. Cæterarum Diœceseon Parochi hoc uti poterunt; & ad suos Episcopos spectabit librum istum illis porrigere, quem Episcoporum Ecclesiæque iudicio submitto, Pontificisque qui illam regit. Ingentes adversus me parari contradictiones
ani-

animadverto; doctrinasque docentes aut sectantes iis adversas, quas ego doceo, neque Librum, neque institutum meum valde probabunt. At Deum spero adversus has contradictiones mihi opitulaturum, neque unquam permissurum, a veritate me avelli. Acri non utar stilo ad opiniones, quas improbo, confutandas: satis mihi erit veras sententias proponere, easque Evangelii, Conciliorum, sanctorum Patrum, veterumque Scriptorum doctrina stabilire. Quæstiones non attingam, quarum inextricabilis sit solutio, & quæ nemini, ut ait Apostolus, profunt. Pauca ponam principia; ea tamen certa, ex quibus, quæ sponte sua fluent, consequentiæ, cujuscunque generis casus poterunt dirimere. Moralem Ethnicorum philosophiam non repudio, sed neque eam ducem vel judicem volo. Christianorum Ethicâ Evangelio unice inhæret; quod si Philosophiæ divisiones ordinemque sectatur, illa utitur, non illi obtemperat. Humano donec discursu in moribus scrutandis utemur, haud eas poterimus superare difficultates, quas vanum hominum ingenium ubique fere invenit: sed Evangelium lex est omnes dirimens ambages, simplex, certa, immutabilis.

